


Et
SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,
DOMINO
LUDOVICO
RUDOLPHO,
DUCI BRUNSWICENSIVM AC
LÜNEBURGENSIVM,

Principi ac Domino meo

Gratiosissimo,

H Aud aspernabuntur Serenissimæ Celsitudines Ve-
stræ, (ea enim est Numinis Vestri Clementia
ac Benignitas, quæ universim Ministros atque
subditos Vestros complectemini) hoc quæcumque munus
Char-

Chartaceum in itinere conscriptum, & ab Serenissimarum
 Celsitudinum Vestrarum Servo infimo humillimè oblatum!
 Fateor quidem, quod perlevis momenti opusculum, nec Ve-
 stro, Serenissimi Principes ac Domini Clementissimi,
 conspectu dignum, Nominibus Vestris in præsentiarum
 inscribo, sit; & non sum inscius, quod offeram, munu-
 sculum levidense abjectumque esse; Et quod tantis Princi-
 pibus offerri queat, ejusmodi esse debere, in quo elabo-
 rando perficiendoque ars, quicquid efficere possit, videatur
 experta. Ast ne illud etiam me latet, Vos, Serenissimi
 Principes, tam inusitatae Gratiae exemplum prodere, ut,
 quod ad pedes Vestros deposuerint humillimi serui atque
 subditi, id non tam conditione sui, quam eorum, qui obtu-
 lerunt, pietate, votoque metiari. Inde in eam spem erigor,
 fore, ut, quod pia adductus humilitate, exhibere ausus sum,
 id, Serenissimi Principes, Domini Clementissimi, oculis
 gratiosissimis, uti soletis, aspiciatis. Imprimis cum ex illa
 regione mittatur ad quam, tanquam ad mercaturam Artis
 Medicæ, profectus sum! Agite igitur, Serenissimi Princi-
 pes, Domini Clementissimi, accipite Serenis frontibus
 atque manibus Gratiosissimis, primitias Itineris mei &
 finite, ut voti mei fructum optatissimum capiam, scilicet, ut
 in Vestra Gratia atque Tutela, absens tanquam præsens,
 conquiescam, & pro Serenissimæ Domus Vestræ felicitate
 pia vota indefesse suscipiam, more piorum subditorum atque
 Ministrorum, qui omne felicitatis suæ momentum in salute
 Vestra omnibus optatissima, posuerunt. Quod si Vestræ
 Illu-



Illustrissimæ Serenitates hisce meis votis atqve cœptis affulserint, & hoc ipsum Opusculum in cumulatiorem maturescet perfectionem, & ipsa scriptoris tenuitas ad majora aliquando incitabitur! Interim Deum ter Opt. ter Maximum assiduè precibus invoco, ut Serenissimas Celsitudines Vestras diu, diu adhuc incolumes servet, & vigori spirituum cœlestium animet, quò sub Tutela Vestra nova, Domus Vestra Serenissima, & ipse Serenissimus PATRIÆ PATER AUGUSTUS GVVILIELMUS, Dominus meus Clementissimus, cum sua Celsissima atqve Gratióssima Conjuge, Domina mea Clementissima, ac Serenissimus Princeps LUDOVICUS RUDOLPHUS, cum svavissima sua Conjuge Principe, atqve omnes reliqui Serenissimi Principes, Domini mei Gratióssimi, omnesqve Ministri & servi humillimi subditiqve fidelissimi in omne ævum constantissime vigeant, vireant atqve floreat!

**Serenissimarum Celsitudin.
Vestrarum**

Dabantur Oxonii,
d. 10. April. Anno
M D CC XIV.

*Devotissimus subditus, Famulus &
Cliens*

Rudolph-August Krüger, D.